

# SCRIPTA

---

**Numéro Scripta** : 6884

**Auteur(s)** : Henri II Plantagenêt, Angleterre (roi)

**Bénéficiaire(s)** : Étienne de Marsay, sénéchal d'Anjou, Tours, Saint-Martin de Marmoutier (abbaye)

**Genre d'acte** : charte

**Authenticité** : non suspect

**Datation** : ...1161...

**Action juridique** : règlement conflit

**Langue du texte** : latin

## Analyse

Notice du jugement auquel le sénéchal d'Anjou a procédé, par ordre de Henri II, pour faire reconnaître les droits de l'abbaye de Marmoutier sur le pressoir de Boire.

## Tableau de la tradition

### Éditions principales

a. Berger Élie, Delisle Léopold, *Recueil des actes de Henri II, roi d'Angleterre et duc de Normandie concernant les provinces françaises et les affaires de France*, Paris, Imprimerie Nationale (Chartes et diplômes relatifs à l'histoire de France), 1916-1927, 3 vol., n° CC, t. 1, p. 334-336.

## Dissertation critique

Sur la datation de cet acte, voir DELISLE/BERGER, *Recueil des actes de Henri II*, t. 1, p.

Texte établi d'après a

Stephanus de Marthaio, domini Henrici regis Anglie senescallus Andegavensis, universis fidelibus salutem. Notum vobis fieri volumus quod totum pressoragium Boerie et omnium vinearum circa Boeriam adjacentium, cujuscumque feodi sint et quicumque eas teneat, sive miles, sive burgensis, sive agrestis (sic), sive monacus, sive Templarius sive Hospitalarius, totum est monachorum Majoris Monasterii apud Boeriam manentium. Hoc enim disresnaverunt in curia domini Henrici regis Anglorum coram me jure et judicio in hunc modum. Hamelinus de Autenosia erexit pressorium in Boeria in injuriam et damnum monachorum, plus in fortitudine sua quam in jure confidens ; quod monachi graviter ferentes, ostenderunt domino Henrico regi Anglorum, qui mihi precepit ut nullo modo eos sustinerem a jure suo privari, sed cogere Hamelinum ad parendum juri, et justo fine terminarem causam inter ipsum et monachos, ordine juris in omnibus conservato. Inde citavi Hamelinum ut coram me appareret, monachis jure responsurus, qui nec venit, nec responsalem misit. Et cum multotiens citatus nollet venire, nec responsalem mittere, propter nobilitatem ejus dissimulavi, minus juste monachis faciens. Quod cum vidissent monachi, dixerunt domino regi quod nullus eram eis in jure, nonnullus in injuria. Quod audiens dominus rex iratus ultra modum erga me, non abstinuit a durissimis minis. Ego vero perterritus recedens ab eo, citavi Hamelinum per litteras meas et per duos prudentes viros, qui nec venit, nec responsalem misit. Monachi vero, instructi testibus et advocatis, petierunt judicium ; quod cum traderem iudicibus ad faciendum, Robertus de Sabolio, qui presens erat, supplicavit mihi quod adhuc semel citarem eum, quod nolui facere sine consensu monachorum, qui et consensum monachorum et meum habuit. Iterum citavi eum per duos prudentes viros et per litteras meas, prefigens ei diem preemptorium in vigilia Sancti Johannis Baptiste, et consilio prudentium virorum ibi manentium mandavi ei quod non minus procederem in causa, si non veniret, quam si presens esset. Ipse vero nec venit, nec responsalem

misit. Monachi vero venerunt et iudicium petierunt. Et quoniam contumacis absentia Dei presentia debet repleti, disputavit tota curia contra monachos, querens quo iure vellent habere pressoragium illud ; monachi vero dixerunt quod illi, ad quorum iurisdictionem pressoragium pertinebat, dederunt eis pressoragium iure perpetuo possidendum in elemosyna ; inde produxerunt testes, qui iurati et examinati dixerunt quod sexaginta annis viderunt monachos in pace tenentes pressoragium, et a fratribus suis audierunt quod similiter viderant eos pressoragium possidentes. Tunc iudices fecerunt servientes meos iurare quod Hamelinum citassent, quibus iuratis (sic) iudicaverunt barones quod ecclesia in perpetuum possideat quod LX. annis in pace iure possedit. Isti sunt testes et iudices : Ego Stephanus senescallus, Gaufridus Andegavensis episcopus, Stephanus decanus Andegavensis, Bartholomeus de Castro Gunterii, Robertus de Sabolio, Mauricius de Creonio, Paganus de Vegia, Brientius de Varezia, Rainaldus de Vo, et multi abbates et milites et burgenses. Et ut omnis materia malignandi erga monachos in perpetuum amputetur, huius rei veritatem sigilli mei confirmatione roboravi, hanc rei veritatem cunctis manifestans.